

Deo capimus, glorificare Deum debemus, et dicere cum Davide, Psal. LXV. *Venite et narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit anima mea.* Assiduus in hac virtute fuit S. Paulus, ut apparet in ejus epistolis, in quibus frequentissime gratias Deo agit pro beneficio conversionis suae aliisque innumeris. Similiter S. Augustinus in sua confessione, quae aliud non est nisi perpetua gratiarum actio pro sua conversione. *Quod est autem, inquit idem August. l. I. contra adu. legis, c. XVIII. sacratius laudis sacrificium, quam in actione gratiarum?* Et epist. V. ad Marcellin. *Quid melius et animo geramus, et ore promamus, et calamo explanemus quam Deo gratias?* Et quid erant festa Hebraeorum nisi gratiarum actiones pro acceptis beneficiis? Sabbatum pro creatione, festum neomeniae pro conservatione et gubernatione, pascha pro liberatione Aegyptiaca, pentecostes pro data lege?

Tertio, laudare Deum in omnibus suis operibus, ac dicere: *Bene omnia fecit.* Merito autem a nobis Deus assidue laudatur. Primo, quia est bonum immensum et infinitum: secundo, quia innumera et ingentia beneficia perpetuo in nos confert: tertio, quia omnes creaturae suo modo Deum laudant, sua pulchritudine, ordine, numero, etc. quarto, quia est opus justorum David: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo; Job: Sit nomen Domini benedictum; tres pueri in camino: Benedicite omnia opera Domini Domino: quinto, quia idem proprium est angelorum et beatorum omnium, uti contra daemones et damnatorum blasphemare: denique, quia omnia bene fecit, et sapientissime cuncta disposuit. Etiam quae mala nobis videntur, si a Deo proveniant, vera bona sunt; quia Deus nihil facere potest, nisi quod bonum est. Caeterum: Si non laudaverint servi Dominum, inquit S. Augustinus, in Ps. CXXXIV. ingrati, irreligiosi erunt. Quid faciunt non laudando Dominum, nisi ut severum sentiant Dominum.*

III. A surdo et muto discimus aperire aures et linguam et quaecumque prius in nobis male clausa fuerunt, ad obsequium Dei. Porro omnes sensus homo aperire debet. Primo, oculos: hos claudunt imprimis haeretici, cum nolunt captivare intellectum in obsequium fidei: denique, mali catholici, qui nolunt intelligere ut bene agant. Declinant oculos: *Ne videant caelum, uti senes illi, Dan. XIII. id est, Dei judicia, aequitatem, etc. Avertunt oculos a propria conscientia; et ita turpiter errant: sicut qui dum scribunt, a calamo vultum avertunt. Non considerant novissima sua: non attendunt ad miserias proximi.*

Secundo, aures: has claudunt aliqui Deo, divinis inspirationibus ac vocationibus, necnon concionibus. Quales illi Judaei Romae, quibus apostolus praedicans dixit: *Quia bene Spiritus s. locutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros dicens: Aure audietis et non intelligetis, et videntes videbitis et non perspicietis. Incrassatum est cor populi hujus et auribus suis graviter audierunt, Act. ult. Et quid aliud agunt isti, nisi quod claudant fenestras, soli, ne ad eos mittat radios et calorem suum.*

Alii eas claudunt conscientiae obmurmuranti. Praeconi officio fungitur conscientia. Primo, ante peccatum, terrendo hominem, ne peccet, ad instar illius angeli, qui stricto gladio obstitit Balaam ariolo, ne pergeret ad maledicendum Israelitis, Num. XXII. deinde, post peccatum, representans homini et exaggerans malum quod gessit, damna quae incurrit, Deum quoque vindicem; similis nuntio illi, qui post acceptas clades solus evasit, ut eas enuntiaret Jobo. Verum ad hunc praekonem obsurdescit heu! non raro peccator.

Alii easdem claudunt proximo gratiam et veniam petenti. Sic Burgensis ille apud Joannem juniorem Dominicanum in scala caeli, nolens dimittere injurias: qui cum ad templum elatus esset, ut pro eo exequiae fierent, Christus cruci affixus, retractis a cruce manibus, aures obduravit suas, dicens: *Nec pepercit, nec parcum.*

Tertio, os Deo, ad orandum et confitendum. Cum enim os apertum est ad orationem et confessionem, salva res est: cum clausum, periculosa; imo tunc actum videtur, sicut quando lupus ovem gutture arripuit, palatum ei intercludens. Proximo, ad eum consolandum vel instruendum; deinde, ad salutandum et amice alloquendum etiam inimicum. Sic apostolus, II. Cor. VI. *Os nostrum patet ad vos, o Corinthii, cor nostrum dilatatum est.* Caeterum hic observandum est, prius audiendum quam loquendum esse; siquidem ut advertit S. Greg. ho. X. in Ezech. prius in contextu evangelii dicuntur aperta aures muti, quam lingua: *Ille enim recte loquitur, inquit ibi Greg. qui prius obediendo fecerit, qua loquendo admonet esse facienda.*

Quarto, manum, juxta id Prov. XXXI. *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem (sequitur) non timebit domui suae a frigoribus nivis.* Solent Cingari ex aperta manu praedicere hominibus bonam aut malam fortunam, vitam longam, opes, etc. Verius ego vobis, auditores, si aperueritis manum vestram pauperi liberaliter, praedicam optima quaeque: hic bona terrae et messem copiosam, ibi vitam aeternam.

Quinto, nares ad percipiendum et examinandum foetorem peccati, infamiae, rerum fluxarum, mortis inferni.

Illis vero qui clausos habent sensus, oclamat hodie Christus: *Ephphetha, id est, adaperire.* Itaque ut aperiat sensus nostros, adeamus Christum, precemur illum, adhibeamus etiam preces aliorum.

## CONCIO X.

## MYSTERIA.

I. Quid Decapolis? — II. Cur abductus surdus et mutus? — III. Cur abduxit surdum Dominus? — IV. Cur in aures surdi immisit digitos? — V. Cur expuens tetigit linguam ejus? — VI. Cur suspexit in caelum? — VII. Cur ingemuit? — VIII. Quid vox Ephphetha? — IX. Cur praecipit ne miraculum evulgarent?

## THEMA.

*Adducunt ei surdum et mutum. Marc. VII.*

Videmus, auditores, in hodierno evangelio, Christum habere claves tam aurium, quam linguae; qui una eademque opera, et surdo aperuit aures, et muto solvit linguam. Quare non solum mihi accedendum est ad Christum, cum vobis concionari volo: verum etiam vobis, cum audire concionantem vultis. Mihi ut recte et efficaciter loquar vobis, ut cum fructu audiatis. Sine divino illo praesidio ego mutus ero, nihil ad rem locuturus, cymbalum tinniens ero: vos vero surdi eritis, audituri quidem auribus corporis, sed non auribus cordis. Hinc ergo concionator in praesentia episcopi cathedram consensurus, prius accedit ad episcopum veluti ad Christum, petitque benedictionem, qua aperiat ipsi os tamquam clave aliqua, ad recte et sane loquendum, quo modo Isaias mittendus ad praedicandum, prius sanctificatus et praeparatus est calculo ignito, quo de altari sumpto tetigerat labia ejus unus Seraphinorum, Isa. VI. Idemque facit sacerdos in missa antequam evangelium legat; prius enim in medio altaris inclinatus, petit gratiam et benedictionem a Deo, ut digne et competenter pronuntiet ejus evangelium. Deinde, concionator, ubi suggestum conscendit, adducit vos auditores itidem ad Christum, qui aperiat vobis aures, dum monet ut ante omnia flexis genibus imploretis Dei gratiam, qua infernis cordis auribus salubriter audiatis, quae dicenda sunt. Hoc itaque cum utrumque jam hic fecerimus, ego quae ad elucidandum hodiernum evangelium faciunt, loquar, vos audite.

I. Quid Decapolis? Resp. esse regionem a de-

IV. PARS FESTIVALIS.

cem civitatibus praecipuis, quibus maxime fulsit, sic nominatam Graeco vocabulo, Decem vero civitates hae numerantur: Caesarea Philippi, Asorcedes, Nephthalim, Sephet, Corozaim, Caparnaum, Bethsaida, Jotapata, Tiberias et Bethsan, quae et Scythopolis. Porro eam regionem D. Hier. et vener. Beda collocant trans Jordanem venientium ab Aegypto. Scythopolis tamen, quam numerat una ex illa Josephus, l. III. de bello, c. XVI. cis Jordanem est. Videtur ergo regio illa partim trans, partim cis Jordanem habuisse suas civitates, quod Jansenio placet.

II. Cur adductus surdus et mutus? Respond. quia ad Christum, quem ignorabat, per se venire non poterat, neque sanitatem postulare. Nec erat modus ipsi insinuandi, ut sponte ad Christum veniret; quia surdus erat. Ergo ut compendio salutem ei procurarent, adducere eum voluerunt, pulchro nobis exemplo, ut disceremus proximis nostris consulere modo efficaci et compendioso, magna cum charitate, sine multis ambagibus, metu aut chore. Porro aliqui sunt, qui vocati ultro exiliunt, et ad Christum veniunt, uti Bartimaeus ille caecus, Marci X. alii adduci debent et compelli, increpationibus, exemplis, minis, flagellis; quorum typus est hic surdus et mutus: alii gestari, quemadmodum paralyticus ille Matth. IX. suntque homines spiritu infirmi, quorum vitia et asperi mores vix corrigi possunt, patienter solum ferendi et supportandi sunt, ut vel hac ratione tandem victi manus dent et respiciant; qua quidem S. Monica vicit, et ad Christum quasi gestavit maritum suum, Patricium, asperitatem ejus sua patientia et silentio expugnando.

III. Cur abduxit Dominus surdum a turba seorsum? Respond. primo, ad litteram, ne a turba premeretur, et in confusa multitudine miraculum obscurius esset. Non enim longe a turba vel extra conspectum ejus fecit miraculum: sed in conspectu, paululum tamen semotus, ut pluribus pateret: non ut vanam gloriam, sed ut animas incredulorum captaret.

Secundo, mystice, ut doceret eos, qui animo curari volunt gratiaque impleri, debere prava vitare consortia mundique strepitum, renuntiare fraternitatibus ei amicitias, quae inter pocula sanciantur. Hinc Osee II. ait de anima fideli Deus: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus, q. d. flectam ejus cor, et convertam ad me meique amorem.* Hoc ut faceret Arsenio, abduxit eum ex aula imperatoris Theodosii (cujus filio Arcadio praceptor datus erat non sine vitae periculo, quod Arcadius semel ab eo castigatus mortem ei machinaretur) in solitudinem

ad vitam anachoreticam, cœlesti voce monitum : Arseni, fuge, tace, quiesce, Bar. ann. 383. Sic Magdalenam abduxit in Baumam suam, Massiliæ vicinum montem, ut ipsa ibi deflere peccata sua, et angelicam agere vitam posset. Denique : « Scrutemur Scripturas, inquit Hugo de S. Victore, l. IV. de arca Noe, c. IV. et inveniemus vix aut nunquam Deum locutum fuisse in multitudine, sed quotiescumque innotescere voluit aliquid hominibus, non gentibus et populis, sed vel singulis vel admodum paucis et a communi hominum frequentia segregatis, vel per nocturna silentia, vel in campis et solitudinibus, et montibus, et vallibus se manifestavit. Sic locutus est cum Noe, cum Abraham, cum Isaac, cum Jacob et Moyse, Samuele, David et omnibus prophetis. »

Tertio, ut typum nobis exhiberet secretæ et auricularis confessionis, in Ecclesia instituendæ. Pulchre enim hæc curatio sacramentum pœnitentiæ adumbrat. Dum suspiciens in cœlum Dominus, ingemiscit, contritionis actum adumbrat : dum expuit, peccatorum quasi fetentium sputorum ejectionem ac confessionem : dum linguam muti tangit sigillum confessionis : dum digitos in aures ejus mittit satisfactionis injunctionem : dum ait : *Ephphetha*, absolutionem sacerdotalem exprimit : dum denique ut dixi, a turba hominem abducit, secreto in auribus solius sacerdotis faciendam confessionem innuit.

Quarto, ut moneret, interdum esse peccatores seorsim ac privatim corrigendos et monendos, ne humano pudore victi exasperentur, et a pœnitentiâ se avertant, fiantque deteriores, si publice emendati confundantur; quales sunt viri ingenui ac litterati, principes præsertim. Sane Praxaspes, qui Cambysen regem in convivio de ebrietate correxit male rebus suis consuluit. Exarcebatus enim rex jaculo Praxaspis, filium confixit, occiditque, ut monstraret ei, regem etiam inter pocula sibi satis constare, apud Herodot.

IV. Cur in aures surdi immisit digitos suos? Respond. primo, ut ostenderet surdos habere aures, quasi obturatas atque clausas, quas proinde digitis suis velut clavibus aperire, aut quasi terebris perterebrare velit, ut notat Maldonatus hic. Digitos ergo auribus applicat, non naturali, sed supernaturali cum efficientia, ut magis constaret, curationem muti et surdi a se profectam et veram esse, non fictitiam.

Secundo, ut doceret gratia Spiritus s. aperiendas esse aures hominum, ad doctrinam fidei et virtutum percipiendam. Digitum siquidem, Spiritus s. typum esse, aliunde scimus. Ipse

Christus Dominus fatetur per Isaiam, c. L. apertam sibi esse aurem, ad cognoscendam et perficiendam Patris sui voluntatem : *Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico*. Quam difficiles sunt sæpe hæretici ad fidem recipiendam! Quam difficiles multi catholici ad morum emendationem, et capienda bona consilia! Isti ergo sedulo orent, ut ipsorum aures aperiantur digito Dei, ipsique non contradicant Spiritui sancto. Quemadmodum enim non est satis spargere in agrum semina, sed præterea opus est cœlesti influxu, qui semina illa nutriat, et ad maturitatem perducatur : ita non sufficit semen prædicationis verbi Dei suscipere, nisi adsit etiam virtus cœlestis, quæ verbum illud vegetet ac fœcundet. Hanc causam reddit Gregorius, homil. X. in Ezech. *Digitos in aurículas mittere, inquit, est per dona Spiritus sancti mentem surdi ad obediendum aperire*.

V. Cur expuens tetigit linguam muti? Resp. primo, ut congrua et accommodata esset medicina morbo. Quia enim muti videntur nimia siccitate impeditam habere linguam palatoque adhærentem, ideo congruit ei sputum seu saliva, hac enim humectatur lingua volubilis, et ad loquendum expedita. Ita supra diximus, aures reseratas esse digitis.

Secundo : « Ut sciremus, inquit hic Euthymius, omnem partem sancti corporis ipsius divina plenam esse virtute. Ecce enim sputum etiam immaculati oris sui, quo linguam tetigit impeditam, divinam quoque participabat virtutem, ac omnino excrementa divini corporis sancta erant, utpote talis corporis; solum autem operabantur, dum vellet. Præterea octavo hujus evangelistæ capite sputo etiam usus est ad cæci curationem, et Joan. c. IX. quando cæcum a nativitate curavit. Hoc autem agebat, ut fidem faceret unitæ sibi divinitatis. Quo enim pacto hæc operarentur, nisi Deus esset? » Sic Euth.

Tertio, ut doceret saporem cœlestis sapientiæ a Deo nobis impetrandum esse. « Quid enim est, ait D. Greg. hom. cit. in Ezech. quod Christus expuens linguam ejus tetigit? Saliva nobis ex ore Redemptoris est sapientia accepta in eloquio divino : saliva quippe ex capite defluit in ore. Ea ergo sapientia, quæ ipse est, dum lingua nostra tangitur, mox ad prædicationis verba formatur. » Qui ergo sapientiam veram et gustum rerum cœlestium desiderat, a Deo obtinendum sciat. Hujus mundi sectatores terrenis laboribus insudant, distinentur litibus, occupantur mercimoniis, vigilant, currunt, navigant, fatigantur. Et quamvis interim corpore se deficere animadvertant, non tamen ab

his laboribus cessant, sed delectantur illis : ad cœlestem vero sapientiam, ad spiritualia mercimonia nullo afficiuntur gustu. Quid aliud istis deest, nisi ut Christus Dominus expuat in os eorum? Nisi ut immitat eis gustum illum?

VI. Cur suspexit in cœlum? Resp. primo, ut doceret id, quod S. Jacobus scripsit in epistola sua, c. I. *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*. Qui ergo dono sapientiæ, prudentiæ, silentii indiget ad gubernandam linguam suam, suspiciat in cœlum et lumen hoc a Patre luminum postulet. Similiter qui in alia miseria constitutus est, nullibi certius asylum nisi in cœlo reperiet : *Cum ignoremus quid agere debeamus, (ita precatur Josaphat rex Juda, II. Paral. XX.) hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te*.

Secundo : *Suspexit in cœlum, inquit Euthymius hic, docens eos, qui alios erant sanaturi, ad Deum aspiciere et virtutem ab eo petere*. Ita divinus quidam catechista seu homo seu angelus Justino philosopho lectionem prophetarum suadens, hanc ei viam ad veræ sapientiæ cognitionem monstrat : *Votis et precibus ante omnia tibi lucis portas aperiri opta : in dial. contra Tryphonem, factumque ut eo medio et via Justinus non modo Christianus, sed profundus etiam theologus evaserit : id quod eadem ratione obtinere D. Thomas Aquinas, Gregorius Magnus et alter thaumaturgus aliique. D. Franciscus cum aliquando coram papa et cardinalibus peroraturus concionem composuisset, repente totius orationis oblitus est. Quare conferens se ad orationem : « Tam efficacibus subito cepit verbis affluere, tamque potenti virtute illorum virorum sublimium mentes ad compunctionem inflectere, ut aperte clareret, quod non ipse, sed Spiritus Domini loquebatur. »*

Tertio, ut disceremus opera nostra bona in cœlum et ad Dei honorem dirigere, necnon omnia, quæ agere volumus, a Deo inchoare et jaculatoria oratione vel pia intentione Deo commendare. Qui jaculari vult prius in scopum intendit, eoque sagittam dirigit, omnem adhibens conatum. Scopus noster et summum bonum, in cœlo est; illuc ergo aspiciere et jacula nostra mittere debemus. Qui in terram et terrenos scopos aciem defigunt, a cœlesti scopo longissime aberrabunt : *Facti sunt quasi arcus dolosus, inquit Dominus, Ose. VII. et David, Psal. LXVII. Conversi sunt in arcum pravum; quia cum in cœlum jaculari deberent, in terram jaculantur : cum in dextra dirigenda esset sagitta, dirigitur ab eis in sinistram, in vanum scilicet vel etiam inhonestum finem : Arcus perversus non*

*pro nomine Domini, sed contra nomen Domini, inquit S. Aug. in eum psalmum.*

VII. Cur ingemuit? Resp. primo, secundum Euthymium hoc loco : « Ingemuit motus hominis afflictionibus ac humanæ misertus naturæ, quæ tum a dæmonibus, tum ab infirmitatibus adeo impetitur, propter peccati transgressionem. » In specie vero lacrymis et gemitibus deplorandum esse hominem illum docet, qui ad Dei verbum ac vocem audiendam surdus, ad confitendum vero peccata sua mutus est. Hi enim duo pene incurabiles morbi sunt, de quorum cura cum desperat medicus, ad extremum ingemiscit et abit.

Secundo, juxta D. Greg. hom. cit. in Ezech. « Ingemuit, non quod ipse necessarium gemitum haberet, qui dabat quod postulabat : sed nos ad eum gemere, qui cœlo præsidet, docuit, ut aures nostræ per Spiritus s. dona aperiri, et lingua per salivam oris, id est, per scientiam divinæ locutionis solvi debeat ad verba prædicationis. » Celeres cursores et veloces dromedarii ad cœlum sunt gemitus; de quibus ait David, Psal. XXXVII. *Domine ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus*. Hos ergo ad Deum ablegare in nostris necessitatibus deberemus, si cito et efficaciter audiri vellemus.

Tertio, ut doceret nos ingemiscere potius et condolere, quam irasci aliorum peccatis : præsertim cum nostri officii aut virium non est ea castigare. Sic Tobias cæcus cum audiret uxoris et propinquorum suorum insultationes, ingemuit; dolens non tam suam cæcitatem et injuriam acceptam, quam peccatum illorum, Tob. III. Sanctus etiam Ambrosius cum peccatorum excipiebat confessiones, non eos objurgabat, sed gemitibus prosequeretur et lacrymis.

Quarto, cum in cœlum suspiceret, ingemuit, uti nos quoque ingemiscamus, cum nos in exilio et valle lacrymarum, longe adhuc a patria cœlesti remotos aspiciamus, uti faciebat David : *Heu mihi, inquit Psal. CXIX. quia incolatus meus prolongatus est; habitavi cum habitantibus Cedar. Alexander M. cum audisset ab Anaxarcho philosopho plures esse mundos, illacrymasse dicitur, eo quod necdum unum sibi subjugasset : Heu me miserum, inquit, qui nondum unius factus sum dominus! Sanius hoc dicere posset Christianus : Heu ! me miserum; cum infinite in cœlo sint mansiones hominibus paratæ, necdum unius possessor factus sum. Quare o fideles et cœlestis Jerosolymæ cives : *Concupiscamus in atria Domini, inquit S. Bernardus, in serm. de obed. pat. et sap. crebro suspiremus illum, patria nostra ipsa est, adoremus saltem et a longe salutemus eam.**

VIII. Quid sibi vult vox *epphetha*? Resp. esse vocem Chaldaicam significantem *adaperire*: retentam vero ab evangelista ob majorem auctoritatem, reverentiam et *emphasim*; alludit enim ad vaticinium Isaïæ de Christo prophetantis, c. XXXV. *Tunc aures surdorum patebunt, et aperta erit lingua mutorum, quod in hoc miraculo completum est.*

Porro observat Salmeron, quatuor potissimum esse, quæ homo aperire debeat; primo, intellectum, ut Deo cognito cætera omnia spernat, adeoque hæc duo sciat; Deum esse omnia et se nihil, in quo veram scientiam sitam esse dicebat S. Laurent. Justin. apud Sur. tom. II. Secundo, voluntatem, ut cor amoris ac timori divino clausum incipiat Dei bonitatem degustare. Tertio, os, ut gratias agat Deo, proximum doceat et soletur, peccata propria confiteatur. Quarto,

manum, juxta id Prov. XXXI. *Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.*

IX. Cur præcepit, ne miraculum evulgarent? Respondet primo, ven. Beda, hom. in hoc evangel. « An forte nobis exemplum dare. voluit, ut virtutum opera facientes, vitium jactantiæ per omnia, gloriamque vitemus humanam, ne bona nostra actio per inanem vulgi favorem, supernæ retributionis munere privetur? Et tamen sciamus opera nostra, si digna imitatione sunt, nullatenus posse celari, sed ad utilitatem fraternæ correctionis ipso dispensante patefieri. »

Secundo, respondet S. Aug. I. IV. de consensu, cap. IV. « Ut quid hoc præcipiebat, nisi quia pigris volebat ostendere, quanto studiosius, quantoque ferventius eum prædicare debeant, quibus jubet ut prædicent, quando illi, qui prohibebantur, tacere non poterant? »

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

PROXIMUS OMNI CONATU AD CHRISTUM ADDUCENDUS.

I. Opus hoc divinum et nobilissimum est. — II. Qui huic operi incumbunt, veri sunt Christiani. — III. Præcipit hoc idem charitas fraterna. — IV. Suadet id ipsum fructus incomparabilis. — V. Varii sunt modi proximum lucrandi.

#### THEMA.

*Adducunt ei surdum et mutum. Marc. V.*

Nosse vos credo, auditores, ex vitis ss. patrum beatum Nonnum episcopum Antiochenum, quando Antiochiæ transeuntem vidit mulierem peccatricem, miro corporis cultu ornatam, largiter flevisse, seque ipsum redarguisse, quod ipse tantam animæ suæ, virtutibus expoliendæ, nunquam adhibisset curam, quantam mulier illa corpori suo fucando impendisset, Jac. diacono, auctore vitæ S. Pelagiæ. Idem probe accedit mihi, auditores, dum partim in aliis evangelis aspicio Judæos pro salute proximorum, non animæ, sed corporis dumtaxat, tam sollicitos ac solertes, ut, proh dolor! longe superent curam nostram, quam de proximorum, non temporali sed æterna, non corporis sed animæ gerimus salute. Ecce enim illi adducunt Christo surdum et mutum, et pro eo deprecantur ut imponat illi manum, cum tamen miser ille posset absque duce ad Christum accedere. Rursum, Marci VI. adducunt ei cæcum: alibi afferunt pa-

ralyticum in lecto jacentem, et cum per ostium non possent, intulerunt per tectum et demiserunt ad pedes Domini, Luc. V. alibi, intellecto Christi adventu in terram Genesareth, pereurrentes universam regionem illam, ceperunt in grabbatis eos, qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse, Mar. VI. Quis, rogo, nostrum tantam habet curam, de salute proximorum æterna? Jure igitur merito nos ipsos reprehendimus, ob talem et tantam ignaviam. Quam ut excutiamus, evigilemus, obsecro, et audiamus rationes, quæ nos excitare debent, ut salutem proximorum sollicite queramus, adeoque deviantes ad Christum adducamus.

I. Opus hoc lucrandi animas plane divinum est et omnium nobilissimum, quod ita extollit Clemens Alex. I. I. stromat. « Maximum est et perfectissimum bonum, quando a male gesta faciendo et a re male gesta virtutem et bonam actionem possit quis aliquem traducere. » S. vero Chrys. hom. XXXV. in I. ad Cor. « Nihil, inquit, adeo potest nos Christi efficere imitatores, ut erga proximum cura. Sed licet jejunando, humi dormiendo, corpus maceraveris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris, sed adhuc longe ab hujusmodi abfueris imitatione. » Neque hoc mirandum: lucrum enim animarum unica fuit causa, quæ de cælo Christum in terram adduxit; quem proinde imitantur qui ad ipsum adducere stu-

dent animas. Imo talis ipsum quasi *os Dei* appellatur, Jer. XV. ut exponit idem Chrys. ho. III. in eandem ep. « Nihil est, inquit, quod anima possit æquiparare, ne universus quidem mundus. Itaque, si et immensas pecunias pauperibus eroges, plus tamen effeceris, si unam converteris animam. Qui enim educis pretiosum ex indigno, tamquam os meum erit, inquit Jerem. etc. » Tales enim sunt Deo simillimi et conjunctissimi, ut idem explicat, orat. V. contra Judæos. Et quia: « Per talem Deus verba sua exerit, qui ab amore præsentis sæculi, loquendo qua potest, humanam animam evellit, » ait S. Greg. XXVIII. mor. c. XXIII. Qui etiam XXXIV. mor. c. VII. ait: *Nullum Deo tale sacrificium, quale zelus animarum.* Denique, Theophyl. in c. I. ad Heb. *Angelicum est, inquit, mortalium saluti inservire.* Id enim faciunt angeli custodes: quemadmodum et angeli, qui Lothum eduxerunt e Sodomis, angelus Tobia, etc.

II. Qui huic operi incumbunt, veri sunt Christiani et Christi amatores. Testatur hoc idem S. Chrysostomus, in hom. de S. Philogonio: *Non est, inquit, qui proinde declaret doceatque quis sit fidelis et amans Christi, quam si fratrum curam agat, proque illorum salute gerat sollicitudinem.* Et in hom. de hab. cura salutis proximi, tom. I. « Hæc summa vitæ nostræ est, hoc signo internoscimur an Christiani simus, cum non solum quæ nostra spectamus, sed et membra nostra perversa corrigimus et instruimus: » rursus, hom. LX. in Matthi. « Non est nobis satis ad salutem quod virtuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem reipsa desiderare: » alibi vero negat esse Christianos, qui hoc ad se spectare negant, uti hom. XX. in Acta apost. « Qui aliis non est utilis, inquit, dic mihi, quomodo erit Christianus? Si fermentum commixtum farinae non commutarit totum in alium habitum, numquid fermentum tale est? Quid etiam si unguentum non implevit odore accedentes, unguentumne dicemus? Ne dicas: Impossibile est mihi adducere alios: nam si fueris Christianus, impossibile est ut hoc non fiat, etc. » Hebræis legem datam scimus, Exod. XXIII. « Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduce eum: si videris asinum odientis te jacere sub onere; non præteribis, sed sublevabis eum eo. » Quomodo non centies magis incumbit Christiano, ut ne pertranseat errantem proximum suum, aut sub peccati onere jacentem, sed quibus potest modis, manum ei porrigat, et humo sublatum ad Christum adducat?

III. Præcipit hoc idem charitas fraterna, imo et lex naturalis; videmus enim et bestias sibi

mutuo sæpe opem ferre in periculis constitutis. Elephas, si in foveam cadat, protinus cæteri congerunt ramos, moles devolvunt, aggeres construunt, omnique vi conantur eum extrahere, teste Pl. lib. VIII. cap. VIII. scari pisces captivos suos e nassis extrahunt mira dexteritate, caudis eorum mordicus apprehensis, eodem auctore, l. XXXII. c. II. « Sic nautæ (homines alioquin barbari) quoque faciunt, ait S. Chrys. serm. de hab. cura proximi, cum per magnum et spatiosum mare navigant; licet navis secundo vento feratur, licet omni fruantur securitate, cum tamen viderint alios vel a longe naufragium facere, non ad propriam spectantes utilitatem illorum contemnunt calamitatem; sed sistunt navem et ejiciunt anchoras, detrahunt vela, ejiciunt funes, projiciunt tabulas, ut ille, qui a fluctibus mergitur, forte aliquo illorum arrepto immergat. » Denique, errantem viatorem si quis animadvertat, illico de errore admonet et ad viam reducit, uti vir ille ignotus qui aberrantem in agro Josephum puerum videns, statim interrogavit quid quæreret, et indicavit ei fratres quos quærebat, Gen. XXXVII. Cur non millies magis sollicitus sit homo, ut deviantem ab æterna salute animam reducat ad semitam? Homo enim animal sociale, non sibi tantum attendere, sed et proximo suo debet. Unde S. Leo, in serm. de S. Laurent. *Nullus bonus, inquit, sibi solus bonus est, nec cujusquam sapientis, sibi tantum amica est sapientia: et hæc verarum natura virtutum est, ut multos a tenebroso abluant errore.* Laudat eo nomine justum Loth S. Chrys. hom. XLIII. in Gen. quia hospites viatores (angelos duos) e nocturnis tenebris eripere volens, pertraxit in domum suam, ne foris in plateis manentes, contumeliam paterentur ab impurissimis civibus; et tum subjicit: « Qualem igitur habebimus defensionem, cum justus nec filiabus parcat, ut hospitem servet curam; nos autem ita immisericorditer erga fratres nostros afficimur, et sæpe tam frigida et absurditatis plena verba proferimus? Quid enim, inquit, mihi cum eo commune? Mihi non est cura, nihil mihi negotii cum eo. Quid dicis homo? Nihil tibi commune cum eo? Frater tuus est, ejusdem tecum naturæ, sub eodem esset domino, sæpe etiam ejusdem participes mensæ spiritualis illius, inquam, et terribilis, et dicis: Nihil commune habeo cum eo? Immisericorditer præteris, et non porrigis jacenti manum? »

IV. Inducit ad hoc opus fructus incomparabilis, quem parit in proximo ad Christum adducto, et refundit in adducentem. Eum explicat Sanctus Jacob. cap. V. cum ait: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam.*